

\*Marc. 15. 42. Luc. 23. 50. Ioann. 19. 38.

57. \* Cum autem sero factum esset, venit quidam dives ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu.

58. hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus.

59. Et accepto corpore, Ioseph involvit illud in sindone munda.

60. & posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit.

61. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum.

62. Altera autem die, qua est post Parasceven, convenerunt principes sacerdotum, & Pharisei ad Pilatum,

63. dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam.

64. Iube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne forte veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit a mortuis: & erit novissimus error peior priore.

65. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis.

66. Illi autem abeuntes, muni'erunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodiibus.

CAPUT XXVIII.

Christi resurrectio custodibus perturbatis, & revolutio lapide ab Angelo. Apparitio Angelorum sanctis mulieribus. Iesus undecim Apostolis se videndum preber. Baptizare precipit, ac pollicetur se Ecclesia semper assuturum.

\* SABB. SANCTO. Marc. 16. 1. Ioann. 20. 1.

1. **V**espere autem sabbati, qua luce scit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum.

2. Et ecce terramotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de celo: & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum:

3. erat autem aspectus eius sicut fulgur: & vestimentum eius sicut nix.

4. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.

5. Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, queritis:

6. non est hic: furrexit enim, sicut dixit. venite, & videte locum, ubi positus erat Dominus.

7. Et citò euntes, dicite discipulis eius quia furrexit: & ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis. ecce prædixi vobis.

8. Et exierunt citò de monumento cum timore, & gaudio magno, currentes nunciare discipulis eius.

9. Et ecce Iesus occurrat illis, dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adoraverunt eum.

10. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere. ite, nunciare fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.

11. Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodiibus venerunt in civitatem, & nunciaverunt principibus sacerdotum omnia, quæ facta fuerant.

12. Et congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus,

13. dicentes: Dicite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum, & nobis dormientibus.

14. Et si hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus.

15. At illi accepta pecuniâ, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Iudæos, usque in hodiernum diem.

16. Undecim autem discipuli abi'erunt in Galilæam in montem, ubi constituerat illis Iesus.

17. Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt.

18. Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra.

19. euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:

20. docentes eos servare omnia quæcûmque mandavi vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.

\* FER. 6. POST PASCHA.

\* IN FESTO SS. TRINIT.

\* Marc. 16. 15.


SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM.

MARCUS Discipulus & interpres Petri, inquit Hieronymus, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breve scripsit Evangelium; quod cum Petrus audisset, & probavit, & Ecclesiæ legendum suâ auctoritate dedit. Attamen Matthei Hebræo adiutus fuisse videtur: sicut Marci Græco, qui postea Matthei Græcus interpres fuit. Nam quamvis Syriaca translationis auctor affirmet, Marcum Latine scripsisse, eum tamen Græco usum eloquio, docent nos Hieronymus Epist. ad Damas. & Augustinus lib. 1. de consensu, cap. 2. quamquam in gratiam præcipue Romanorum, sicut & Paulus ad Romanos Epistolam scripsit lingua Græcâ. Nempè Iudæi qui Romæ erant, plerique Latini sermonis ignari, & Romanorum vix quisquam non Græcè intelligens etiam inter ipsas feminas, ut ex Iuvenali discimus. Constat certe nostram vulgatam Latinam versionem tam Matthei quam Marci ex Græca editione translata. Narrat autem ipse serè eadem qua Mattheus, sed brevius & contractius; unde Matthei brevior ab Augustino dicitur. Post annum decimum à Passione & paulò antequam Alexandriam proficisceretur, eum scripsisse docent Eusebius, Euthymius, & Baronijs. Ad quam à S. Petro missus Olympiadis 205. anno tertio, Claudij Imper. item 3. ut vult Euseb. in Chronico Græco; hoc est Æra nostra anno 43. post Passionem 10. tam florentem ibi doctrinâ & vitæ continentia constituit Ecclesiam, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret, inquit Hieronymus: unde Cœnobarum princeps & institutor est appellatus. Alexandria in octava Pascha 25. Aprilis, cum pridie ad altare sacris dans operam, esset comprehensus, martyrio affectus est, ut habent Græca Menologia & Latina Martyrologia, atque Eusebius, Hieronymus & alij scriptores.

CAPUT PRIMUM.

Marcus à predicatone Ioannis suum orditur Evangelium. Iesus ab eo baptizatus in desertum se recipit; ubi post 40. dierum ieiunium tentatur à diabolo. Tum Ioanne in carcerem coniecto, predicat regnum Dei in Galilæa. Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem vocat ad Apostolatam; eijcit demones, & varios sanat languores.

\* Mal. 3. 1. \* Ijai. 40. 3. Matth. 3. 4. Luc. 3. 4. Ioan. 1. 2. 3. Anno M. 4032. etc vulg. 28.



1. **I**nitium Evangelij Iesu Christi, Filij Dei.

2. Sicut scriptum est in Iſaia propheta:

\* Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

3. \* Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.

4. Fuit Ioannes in deserto baptizans, &

predicans baptismum poenitentia in remissionem peccatorum.

5. \* Et egrediebatur ad eum omnis Iudæa regio, & Ierosolymita univèrſi, & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata sua.

6. \* Et erat Ioannes vestitus pilis cameli, & zonâ pelliceâ circa lumbos eius, & locustas, & mel silvestre edebat. Et prædicabat dicens:

7. \* Venit fortior me post me: cuius non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum eius.

8. \* Ego baptizavi vos aquâ, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.

9. Et factum est: in diebus illis venit Iesus à Nazareth Galilæa: & baptizatus est à Ioanne in Iordane.

10. Et statim ascendens de aqua, vidit celos apertos, & Spiritum tamquam columbam descendentem, & manentem in ipso.

11. Et vox facta est de celis: Tu

\* Matth. 3. 4. \* Lev. 11. 22. \* Matth. 3. 11. Luc. 3. 16. Ioann. 1. 27. \* Act. 1. 5. & 11. 16. & 19. 4.

\* Luc. 3. 22. Ioan. 1. 32.